



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An Ecclesia, cuius Episcopus, seu Prælatus, vel etiam Capitulum, & Clericus in hæresin vel schisma incidit, jurisdictionem, & alia jura ac privilegia amittant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](#)

excepti sunt, prout etiam patet ex c. *Solita*
6. b. t. Et hinc Abbates etiam & Sacer-
dotes alii, qui curam animarum habent,
si Episcopo subjecti sint, & ad synodum
diocesana vocentur, comparere de-
bent. *c. Quod super his 9. b. t.* ita ut no-
lentes comparere per centuaria etiam Eccle-
siasticam compelli possint, quin in modo etiam
Abbates exempti, si populum sub se ha-
beant, comparere debent. Observetur ta-
men in his consuetudo Diocesis, videa-
tur etiam de obedientia exhibenda Car-
dinalibus à Clericis sui Tituli *c. His, que*
11. b. t. & de obedientia ac reverentia
suis Abbatissis exhibenda à Monialibus
c. Dilecta. 12. b. t. & *c. legebatur 3. ac*
c. cum in Ecclesiis 10. b. t. de obedien-
tia ac reverentia à Clericis suo Episcopo
aut à regularia suo Abbatii promitten-
da, juramento scripto, vel manuali tan-
tum & verbali promissione. Et de jura-
mento fidelitatis ac obedientiae suo Ar-
chiepiscopo exhibendo ab Episcopis suf-
fraganeis *c. cum dilecti 13. b. t.* Et deni-
que de componenda controversia, qua
inter Clericos nonnunquam oritur de su-
perioritate unius & subjectione alterius,
c. final h. t. ac quae de paenitentia inobedien-
tium statuuntur in *c. 2. §. 5. b. t.*

§. III.

*An minor, seu inferior possit ex-
ercere jurisdictionem, ac potestatem
in se superiorum, aut illi hic
subjici?*

Respondetur, ordinariè hoc fieri non
posse, ut ostenditur in *c. Cum inferior*
16. b. t. nisi in casu, quo inferior Delega-
tus Papæ constituitur, aut speciale privi-
legium obtinet contra Superiorum.

IV.

*An Ecclesia, cuius Episcopus, seu
Prælatus, veletiam Capitulum, & Clericus
in heresin vel schisma incidit, jurisdictio-
nem, & alia jura ac privilegia
amittat?*

Respondetur ex c. *Inter quatuor. 8. b. t.*
clarè colligi, quod omnia Ecclesias-
tica jura & privilegia amittat Ecclesia
(saltem quoad exercitium, & post declara-
toriam sententiam incuria heresis aut
schismatis, si in heresin vel schisma, non
quidem Episcopus tantum aut tantum
Capitulum, sed Episcopus & Capitu-
lum labatur) prout etiam de heresi col-
ligitur ex *c. Ut commissi 12. §. privandi*
de heresi in *6. & de schismate ex Can. No-*
vatianus causa 7. 9. 1. (cum enim hi tales
non sint membra Ecclesie, merito pri-
vantur iuribus Ecclesie) ita tamen ut ea-
dem vel ipso jure, vel per sententiam Ju-
dicis recuperatura sit, postquam redit ad
unitatem Ecclesie, nisi absoluè jam in
aliam Ecclesiam jura illa legitimâ au-
toritate translatâ fuissent.

§. V.

*De subjectione, & obedientia ex-
hibenda Summo Pontifici.*

DE hac agitur in *Extravag. Vnam*
sanctam 1. & in *Extravag. Ut Pra-*
latorum 2. & in *Extravag. Esi deceat 3.*
b. t. inter communes. & aliquid etiam
habetur in *Extravag. Ecclesia. Vnica*
Ioan. 22. b. t. quæ videri possunt.